

Rome, 6 Novembre 1601.

1 Illustrissime et Reverendissime Domine. Binas uno tempore  
 ab Illustrissima D. Vestra litteras accepi, quibus mihi duo negotia  
 commendabantur, et praeterea desiderium sanctae animae vestrae aperie-  
 batur veniendi ad Urbem, dimittendae curae Pastoralis, et collocandi  
 5 in tuto salutem sempiternam. Quod ad negotia attinet, faciam omnino  
 quod potero, sed non multum potero, quia pendet ab aliis permultis,  
 qui non facile juribus suis cedunt. Cum de re pecuniaria agitur, mi-  
 rum est, quam multis difficultatibus negotia impedianter. Quod vero  
 ad pium desiderium pertinet adipiscendi pennas columbarum et volandi  
 10 ad locum dulcissimae quietis: dicam Illustrissimae D. V. quod mihi  
 occurrit. Non existimo solidiorem quietem, et veriorem salutis secu-  
 ritatem in ulla re posse reperiri, quam in Dei voluntate tota animi  
 devotione perficienda. Illam Domini vocem praeter caeteras, semper  
 amavi: Pater, transfer calicem hunc a me, verumtamen non mea, sed  
 15 tua voluntas fiat. Empti sumus pretio magno: proinde ut servi empti-  
 tui simplicem obedientiam Domino nostro debemus. Dum nobis conscienc-  
 tia nostra vere renunciet, nos non quaesivisse, non optasse, non ele-  
 gisse locum altiorem, nunc etiam honorem temporalem nobis cordi non  
 esse, libentissime deposituros, si liceret: non video, cur in Dei  
 20 voluntate per imperium Vicarii sui nobis expresse proposita, acquies-  
 cere non debeamus. Pastorale opus grave est, solitudine et periculo  
 plenum: nec minus fortasse gravis et periculosa est dignitas cardinalitiae.  
 Si opifici atque empori nostro placuit nos in has angustias  
 et pericula vocare, qui sumus nos, qui dicamus illi: cur ita fecisti?  
 25 Qui nos dilexit et animam suam pro nobis posuit, dicere dignatus est  
 Petro, et in eo Pastoribus omnibus: Si amas me, pasce oves meas. Quis  
 igitur erit, qui audeat Domino respondere, nolo pascere oves tuas,  
 ne perdam salutem meam, nisi qui non Deum, sed se ipse amat? Verus  
 Dei amator cum Apostolo dicet: Malo anathema esse a Christo pro fra-

✓ tribus meis, quam non subire sarcinam, quam mihi Dei amor imposuit.  
 Sed neque periculum salutis ullum esse potest, ubi regnat charitas.  
 Nam etsi ex ignorantia vel infirmitate humana in multis labamur, tam  
 men charitas operit multitudinem peccatorum. Illustrissime ac Aman-  
 tissime Domine, si ulla spes esset, ut cum Dei beneplacito et Vica-  
 rii ipsius benedictione ad quietem Religionis D.V. venire, et ego re-  
 dire possemus, id certè omnino eligendum esset; sed quia spes ejus-  
 modi nulla affulget, propterea scripsi quod scripsi: et quod mihi  
 ipsi frequenter dico, sanctae animae vestrae, quam propter onus pas-  
 torale angi video, dicere volui. Si per negotia licuisset D.V. Romam  
 venire, rem gratissimam non solum mihi, sed et Cardinali Baronio et  
 aliis permultis fecisset; sed quando praesentia vestra frui nobis  
 non licet, saltem orationum vestrarum solatio et suffragio non des-  
 tituamur. Romae die 6 Novemb. 1601.

15 [ Fuligatti, Epp. famil. XV; Jouvency, Historia S.J., P.V, l.XXV,n.  
 54, pag.907; en franç. partiellement Couderc, op.cit., t.I, p.280,  
 t.II, p.105=107 (traduction libre)]